

scopis, numerum festorum restringere et uniformem rationem in totam regionem introducere intendit. Quare, saltem practice, obsolevit potestas quam Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 12) in episcopis agnovit, praecipendi ut quidam dies festi, in eorum dioecesi, etiam a Regularibus serventur. Videsis Craisson, op. cit. n. 4900 seqq.

CAPUT II.

DE JEJUNIO ET ABSTINENTIA.

436. Jejunium, quandoque latiori, quandoque strictiori sensu sumitur. Latiori sensu, duas partes praecipuas complectitur: imprimis prohibitionem ne plus quam una corporis refectio singulis diebus sumatur. cui prohibitioni, tamquam accessoria, conjungitur lex de certa hora huic unice refectio assignanda; deinde prohibitionem comedendi carnes, cui accedit lex de non permiscendis piscibus cum carnibus, si quis ad eas manducandas dispensatus est. Strictiori sensu, jejunium non nisi priorem ex his prohibitionibus designat.

Plures antiqui DD. ut Busemb. (ap. S. Alph. l. 4. n. 1004) opinabantur abstinentiam ita esse de jejunii essentia ut cui ob debilitatem permitatur usus carniū, etiam altera refectio sit licita. At, ex quo Bened. XIV (Encycl. *Non ambigimus*, 31. Maii 1741) edixit eos quibuscum dispensatum sit ad comedendas carnes, teneri ad unicam comestionem servandam, certum est has duas partes separari posse (S. Alph. n. 1013): quod ex hodierna praxi omnibus patet.

Jejunium, ex lege communi et seclusa dispensatione, quoad utramque partem suam servandum est tempore Quadragesimae (exceptis Dominicis), in Quattuor Temporibus, in vigiliis Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. J. C. In Gallia et Belgio, cum sollemnitatis SS. Apostolorum ad sequentem Dominicam transferatur, jejunium in Sabbato servandum est; at, si dies 29 Junii in Sabbatum inciderit, jejunandum est feria sexta. (S. Inqu. 22 Nov. 1879)

Abstinentia sola ex communi lege servanda est in Dominicis Quadragesimae et quaque feria sexta (nisi inciderit in festum Nativitatis Domini). Abstinentia Sabbati in multis locis observatur, quamquam lex universalis de ea exstare non videtur. Juxta Bened. XIV (de Syn. dioec. l. 11. c. 5. n. 5), carnes comedere die Sabbati licet ubicumque earum usus a recepta consuetudine non est interdictus. Nihilominus, ubi de peregrinis agitur, solent AA. legem abstinentiae Sabbatinae habere ut communem

ideoque censent ea obligari eos qui e loco ubi non viget, ex. gr. ex Hispania, ad locam ubi viget divertunt. (Gury, I. n. 95.; Lehm. I. n. 1207) Reapse enim consuetudo, quae est optima legum interpres, spectat abstinentiam Sabbatinam tamquam per se ubique vigentem, saltem in Europa, et paucas regiones in quibus non viget tamquam privilegio donatas. Hodie in Belgio, Stat. Foed. Amer. aliisque regionibus quotannis in hac abstinentia dispensatur. Verum S. Inqu. 10 Jan. 1855 declaravit peregrinantes extra Belgium non posse die Sabbati comedere carnes in locis in quibus viget ista lex.

Praeterea, in pluribus regionibus, quidam dies jejunii vel abstinentiae e peculiari consuetudine vel lege servandi sunt: de quibus unusquisque suae regionis mores consulat.

E maxima varietate qua Ecclesia leges jejunii, labentibus saeculis, proposuit, manifeste constat eas esse *juris tantum positivi*. Id communis sententia Theol. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 2. n. 30 seqq.) admittit de ipso jejunio quadragesimali, quod jugiter tamquam sanctissimum et strictissimum inter omnia jejunia habitum est. Hoc ipsum institutum est ab Apostolis, non promulgantibus divinam legem, sed propria auctoritate utentibus, ad imitationem illius portentosi jejunii quod Christus per quadraginta dies in deserto peregit. Divinum autem jus nihil aliud statuit quam ut carnis mortificationem exerceamus, quatenus ea necessaria est ad tentationes vincendas vel divinam iram placandam: modum vero et tempus illius exercendae Christus Ecclesiae determinanda reliquit.

§ I. DE JEJUNIO.

437. I. Lex jejunii, prout a lege abstinentiae praescindit, prohibet ne plus quam una refectio plena et sufficiens singulis diebus sumatur.

Attamen, ex usu jam satis antiquo, praeter hanc plenam refectioem, licet vespere collationem aliquam seu cenulam sumere: de cujus qualitate et quantitate dicetur infra (II).

Insuper mane licet aliquid cibi seu, ut aiunt, *frustulum* sumere, modo id quod sumitur non excedat notabiliter duas uncias cibi, puta sesqui-unciam chocolati vel lactis cum dimidia uncia panis, cafaeum parva lactis quantitate temperatum (1) cum duabus fere unciis (2) panis vel similia. (D'Annib. III. n. 134; Lehm. I. n. 1211) Ipsa S. Poenit.

(1) Id tamen valet tantum de iis regionibus in quibus viget consuetudo lac extra unicam refectioem adhibendi, ut explicatur Ass. II.

(2) Uncia aequivalet 31 gr. 25 egr. Profecto antiqui Theologi non semper eundem valorem unciæ tribuerunt: sed in his quid prodest rigor mathematicus?

21 Nov. 1845 respondit non esse inquietandos qui mane diebus jejunii in parva quantitate sumant chokolatum cum frustulo panis. Unde ille usus ubique teneri vel introduci potest, etiam ab iis qui, absque hoc subsidio, jejunare possent.

II. De cenula duo quaeri solent: quatenam scilicet **quantitas** et **qualitas** ciborum in ea permittantur. Jamvero:

1^o Hodie, post S. Alph. (n. 1025), communiter, receptum est sumi posse in cenula octo uncias cibi solidi, ut panis, piscium, fructuum siccorum, etc. Haec igitur quantitas "ita hodie usu recepta est ut indistincte permittatur, etiam illis qui cum illa ad satietatem reficiuntur." (S. Alph. l. c.) Quidam AA. praesertim Germani, statuunt aliam regulam, nempe licere quartam partem justii prandii; ubi tamen formulam hanc satis vagam pressius explicant, et ipsi ad regulam S. Alphonsi accedunt. (Ball. P. n. 47). Insuper justa de causa haec quantitas paululum augeri potest. Ita S. Alph. (l. c.) a culpa excusat eum qui decem uncias sumeret eo quod majori nutrimento indigeret. In regionibus etiam septentrionalibus, ut Germania et Belgio, simile quid excusari potest ob caeli frigus, defectum vini et consuetudinem plus manducandi.

Si cui moraliter necessarium esset paululum excedere hanc quantitatem decem unciarum, praesertim tempore Quadragesimae, ad jejunium continuandum, is non esset inquietandus: nam levis ille excessus jejunium substantialiter non frangit, neque videtur mens Ecclesiae esse, praesertim nostris temporibus, ut nimium coartentur fideles qui, pauci inter multos, jejunium servant. Attamen, si notabiliter illam quantitatem excedere deberent, justam quidem causam excusationis vel dispensationis haberent; jejunium vero non servarent, dum collationem in veram cenam mutarent. In collatione Vigiliae Nativitatis Domini duplicari posse quantitatem generatim licitam, ob consuetudinem receptam, probabiliter tenent multi AA. Cfr. S. Alph. l. c.

Ubi sumitur panis coctus cum aqua, aceto, etc., per modum pullis seu offae, plerique AA. cum S. Alph. (n. 1029) tenent non posse sumi in hac decoctione octo uncias solidi cibi, puta panis, leguminum, etc. Nihilominus censem hodie in praxim deduci posse sententiam contrariam quam, post plures antiquos DD., tuetur Berardi. (Prax. Conf. n. 2990) Debilis enim est ratio cui praecipue immititur sententia S. Alphonsi: panem, per decoctionem et fermentationem cum aqua, aliam naturam acquirere, et ita fieri quid unum panem et aquam ut evadat una substantia major et ab invicem separari nequeant. Nam "haec immutatio chemica consideranda est quasi initium digestionis, quia non differt ab ea immutatione quae initio digestionis efficitur. Inde vero materia alibilibis nullo prorsus modo augetur. Quantitas quidem hujus panis jurulenti

majorem satietatem creare potest quam eadem panis siccii portio, quamvis etiam hoc discrimen non adeo magnum sit." (Capellmann, Med. past. p. 95) Neque aequum videtur permittere ditiori ut octo uncias panis in vino intingat dum eas comedit (quod S. Alph. licitum putat), pauperem autem prohibere ne eandem quantitatem aqua coquat. Immo, si recurritur ad communem existimationem et legis finem, quibus rationibus Lehmkuhl (n. 1211) opinionem S. Alphonsi fulcire nititur, pauper iste, saltem in regionibus nostris, melius quam dives vino utens censebitur jejunare et mortificationem exercere.

2^o Hodie in multis regionibus, speciatim in Belgio, videtur invaluisse usus ut quivis cibi quadragesimales in collatiuncula sumi queant. Hanc regulam etiam universaliter proponit Ball. P. n. 54. Ubi tamen viget norma severior et antiquae consuetudini conformior, ut plures cibi, ex. gr. grandiores pisces, excludantur, haec servanda est: nam magna vis in determinatione hujus praeepti consuetudinibus, etiam particularibus, tribuenda est.

Ad cibos vero solo Indulto permisos quod spectat, hi generatim in collatione adhiberi nequeunt, ut clare constat ex Bulla Clementis XIII *Appetente* (20 Dec. 1759), qua edicit dispensatos a carniarum abstinentia "tantummodo ad unicam comestionem posse carnem vel quae ex carne trahunt originem, adhibere." (S. Alph. n. 1027) Nihilominus attendendum ad consuetudines contrarias. Sic in Belgio jejunantes solent adhibere lac et caseum, in Germania et quibusdam partibus Americae, etiam ova. (Lehm. n. 1212)

438. III. Hora uniceae refectio, ex universali consuetudine hodierna, assignata est meridies; omnibus tamen licet una hora anticipare, quae multorum religiosorum consuetudo est. Haec autem horae determinatio, juxta communiorem et certe probabilem sententiam (Lessius, l. c. n. 11; Bus. ap. S. Alph. n. 1016), non est, nostris temporibus, essentialis jejunio ideoque nulla anticipatio grave peccatum constituit. Ratio est quia, dummodo unica in die refectio fiat, finis jejunii non frustratur: nam incommodum dilatatum postea experieris. (Ball. P. n. 34) Hanc sententiam S. Alph. (l. c.) tamquam communiorem et probabiliorem secutus est; postea vero (Quaest. retr. XIII; H. A. tr. 12. n. 21) eam censuit neque probabilem esse. Rationem autem affert quae praesertim nititur principio possessionis, scilicet quia antiquitus haec hora sane ad jejunii essentiam spectabat; nunc autem non probatur cum certitudine consuetudinem huic gravi praeepto derogasse, ac proinde istud manet in possessione. Profecto haec ratio minime stringens est, ut liquet ex dictis n. 76.

Notabilis anticipatio sine causa facta est peccatum leve, sed excusat

quaelibet causa rationabilis, ut iter inchoandum, urgens negotium, debilitas complexionis, negotium quod mentis intensionem brevi post meridiem poscit, etc.

Ubi causa rationabilis, puta negotiorum gestio vel recepta consuetudo, id postulat, nihil obstat quominus cenula sumatur intra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero hora quarta vel quinta pomeridiana. (S. Poenit. 10 Jan. 1834) Immo, ob similem causam, posset mane sumi collatiuncula, meridie prandium, vespere frustulum. (D'Annib. III. n. 134, nota 34) Attamen si quis (quod raro continget) sciret se tantum hoc inverso ordine, non autem ordine solito, jejunare posse, non putamus eum in rigore ad jejunandum teneri; nam, licet iste modus hodie toleretur, manet tamen extraordinarius et quasi privilegium, quo nemo uti tenetur. Idem sentire videntur plures AA. citati a Busemb. (ap. S. Alph. n. 1031), qui ponunt quasi generale principium: "nemo tenetur pervertere ordinem refectionum."

439. IV. Unicae refectionis legi non obstat quod prandium protrahatur etiam per duas horas vel, ubi consuetudo viget, per tres vel quattuor, si post duas circiter horas apponantur sola bellaria vel cibi leviores et vespere omittatur refectioniuncula. Priorem hujus asserti partem S. Alph. (n. 1020) censet probabilem; posteriorem nec approbat, nec reprobat.

Neque eidem legi obstat quod prandium interrumpatur ob negotium incidens, vel etiam sine causa, dummodo interruptio non sit notabilis seu non excedat multum semi-horam; quodsi ob negotium interruptio facta est, semper, etiam post plures horas, ad mensam redire licet, quia "Ecclesia numquam intendit obligare ad diem transigendum sine sufficienti refectione." (S. Alph. l. c.) Manet quoque moraliter una refectio si quis, ob justam causam, aliquid praegustat, uti apud religiosos faciunt ministri et lectores mensae, vel si quis, postquam a mensa surrexit animo non amplius comedendi, brevi post redit, ex. gr. quia apponitur aliud ferculum quod apponendum ignorabat.

V. Extra refectionem et duplicem refectioniunculam diebus jejunii permissas (I), non licet sumere ea quae cibi rationem habent: cibus autem censetur quidquid principaliter inservit nutritioni, sive solidum sit, sive liquidum. Ideo prohibentur fructus, lac, mel, oleum, saccharum (nisi, in parva quantitate, liquido immisceatur).

At lege jejunii hodie non prohibetur potus, seu quidquid sumi solet principaliter ad juvandam nutritionem et digestionem, ut vinum, cerevisia, cafaeum, thea, liquor confectus ex aqua mixta saccharo et succo cinnamomi vel mali citrei (limonade, sorbet), etiam si liquor iste conge-

latus est (S. Alph. n. 1022) In hoc tantum sensu verum est adagium: *Liquidum non frangit jejunium*. Neque obstat quod talia sumantur ad famem depellendam: nam finis legis non cadit sub lege; vel quod e mera gula abhibeantur: alia enim est lex jejunii, alia temperantiae.

Neque jejunii legem infringit qui electuaria (pastilles, pâte de jujube etc.) sumit in parva quantitate, ut fieri solet, ad digestionem juvandam, tollendum oris foetorum, conservandam vocem et similia. Peccaret tamen qui talia in magna quantitate per modum cibi sumeret in fraudem legis. (2. 2. q. 147. a. 6. ad. 3.; S. Alph. n. 1019)

Tandem licet, saltem semel vel bis in die, aliquid cibi sumere ante potum, ne potus noceat; id tamen non licet *toties quoties*, ne jejunium prorsus inane fiat. (S. Alph. n. 1018; H. A. tr. 12. n. 11)

440. VI. Laesio jejunii certe est **ex genere suo gravis**. At non ita liquet quid requiratur ut laesio illa sit manifeste gravis. Plerumque in praxi id clarum erit, puta si quis more solito jentat cenatque; de casibus vero dubiis, haec, inter multas et obscuras AA. opiniones, animadvertisse juvabit:

1^o Multae refectioniunculae, eadem die sumptae praeter eas quae licent, in unum coalescunt, utpote ad eandem nutritionem tendentes. Quare ab Alex. VII damnata est prop. 29^a: "In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium."

2^o Ubi aliquid illicitum sumitur, non videtur referre utrum cenulae vel frustulo addatur an extra illas refectioniunculas sumatur.

3^o Duas uncias esse materiam levem communiter tenent AA. (S. Alph. n. 1025); probabile quoque videtur eam non futuram gravem nisi quattuor uncias attingat. (Gury, I. n. 494) (1) Reapse illam quantitatem notabilem mathematicè definire impossibile est, deficiente norma cui innitatur. Ex opinione autem quam supra ut probabilem admisimus, satis patet plerumque leviter peccare qui in collatiunculis modum paululum excedunt vel extra illas, sine ulla causa excusante, quaedam leviora manducant, ut fructus, bellaria et similia.

441. VII. Qui **duplicem refectionem** in die jejunii, sive culpabiliter sive inadvertenter, sumpsit, probabilius jam non peccat contra jejunii

(1) Adhuc benignius sentire videtur Billuart (Tract. de abst. Dissert. de jej. a. 5. § 2), dum ad peccatum grave requirit quantitatem aequivalentem levi jentaculo vel collationi vel tertiae parti refectionis. Sed valde dubium est quid praecise intenderit, siquidem non determinat quantitatem quae in cenula sumi possit, sed eam determinandam relinquit consuetudini loci et necessitati jejunantis. (l. c. § 4)

legem si iterum manducat. Nam praecepti hujus essentia in unica refectioe diurna consistit; hac igitur essentia destructa, jam lex servari nequit. Neque videtur admittendum has posteriores refectioes esse peccata levia contra hoc praeceptum, ut censet S. Alph. (n. 1030), eo quod sunt contra finem legis, i. e. mortificationem carnis. Nam finis legis sub legem non cadit. (Ball. P. n. 4)

Qui inadvertenter jentaverit, si jentaculum notabiliter frustulum licitum superat et fere cenulae aequivalet, tenebitur, quatenus id sine gravi incommodo facere poterit, vespere minuere collatiunculam ita ut non multum excedat frustulum, vel alia ratione, pro adjunctis, rem componere, ut essentiam jejunii, quae mansit intacta, servet. (Lessius, l. c. n. 19; Gury. I. n. 496) Attamen, ut opinantur Navarrus, Paludanus etc. quorum sententiam probabilem censet Lessius (l. c.), posset etiam servare jejunium eo modo quo alii solent, perinde ac si nihil sumpsisset ac proinde prandio ac cenula uti. Rationem afferunt: priorem illam comestionem, cum fuerit prorsus involuntaria, respectu violationis jejunii non computari. Addi potest: eum, juxta regulam supra (n. 438) datam, non teneri ad invertendum ordinem refectioem.

§ 2. DE ABSTINENTIA.

442. I. Lege abstinentiae, sub peccato ex genere suo gravi, prohibetur esus **carnium** et eorum quae a carnibus originem ducunt, puta offae carne conditae, jusculi, medullae. Juxta S. Alph. (n. 1010), prohibentur quoque, seclusa consuetudine contraria, laridum et sagimen seu adeps animalium igne liquefactus: saepe tamen vel solum sagimen, ut in Belgio, vel etiam laridum, ut in quibusdam partibus Italiae (Ber. Prax. Conf. n. 2953), annuis Indultis permitti solet. Hodie, ex resp. S. Inq. 1 Maii 1889 (N. R. T. t. 27. p. 257), constat condimenta ex adipe his Indultis concessa non restringi ad adipem suinum, ut multi opinati sunt, sed comprehendere adipem cujuslibet animalis. In eadem concessione comprehendendi facultatem utendi butyro per modum condimenti, indulsit Leo XIII 15 Maii 1896. (Act. S. S. t. 29. p. 247)

Loco butyri e lacte confecti licet manducare butyrum e pinguedine artificiose confectum (margarine). Ita respondit S. C. Inquisitionis 6 Sept. 1899. Neque inquietandos esse censemus manducantes substantiam quae gallice "peptone" audit. Nam quamvis ista vim carnis nutritivam praebeat, tamen caret ea delectatione ob quam homines carnes appetere solent et potius inter medicinas quam inter cibos locum vindicat: quare non est collocanda inter eas carnes quas prohibet lex ecclesiastica, quae potius externam speciem et gustum quam originem attendit.

Cum autem animalia, relate ad legem abstinentiae, dividantur in **carnem et piscem**, breviter hic dicendum quaenam ad priorem classem pertineant, ut extensio prohibitionis cognoscatur. Nempe:

1° Summa regula est ut attendatur communis aestimatio fidelium in singulis regionibus: nam in materia abstinentiae, deficientibus legibus scriptis, summum imperium habet consuetudo, nisi forte merus abusus sit contrarius legi abstinentiae prout ubique observatur. (S. Alph. n. 1011)

2° Si in aliqua regione deesset consuetudo ex. gr. quoad animalia rariora, sequenda esset regula quam suppeditat S. Th. (2. 2. q. 147. a. 8): carnem censi animalia in terra quiescentia et respirantia, seu quae diu extra aquam vivere soleant. (S. Alph. l. c.) Amphibia accenseri solent iis animalibus quibuscum majorem similitudinem habent. Si igitur eorum caro magnam similitudinem habet cum carne illorum animalium quae certe et ubique prohibentur, et ipsa censenda sunt prohibita. (Bened. XIV, de Syn. dioec. l. 11. c. 5. n. 12)

3° Si dubium probabile manet vel de consuetudine vel de natura carnum alicujus animalis, licebit eas comedere, donec decretum S. Sedis vel accuratius examen certam prohibitionem fecerit.

Ob rationes intrinsecas vel receptas consuetudines, piscibus accenseri solent ranae, limaces (escargots), testudines (tortues), ostrea (huitres), cammari (homards), lutrae (loutres), castores; juxta quosdam "viperae, quae similes sunt anguillis." (S. Alph. l. c.) Aves vero generatim carni accensentur, licet aliquae in aquis nutriantur, ex. gr. mergi (plongeurs), anates (canards), querquedulae, (sarcelles). Fulicas (foulques) quidam certe prohiberi putant (ex. gr. Berardi, n. 2951) eo quod Ordini Minimorum, perpetuam abstinentiam professo, tantum *ex gratia* concessum est (22 Febr. 1804) iis vesci. Alii (ex. gr. Ball. P. n. 13) rectius censent tali dispensatione, quae ob multas causas dari potuit, non dirimi quaestionem theoreticam. Ideo has ceterasque aves aquaticas comedere licet, ubi viget consuetudo.

443. II. Praeceptum abstinentiae complectitur prohibitionem manducandi **ova et lacticinia** (caseum, butyrum) omnibus diebus Quadragesimae, etiam Dominicis, seclusa dispensatione, quae hodie in nostris regionibus quotannis dari solet. Haec tamen prohibitio non spectat ad ceteros dies jejunii vel abstinentiae per annum, nisi consuetudo specialis eam extensionem induxerit. (2. 2. q. 147. a. 8. ad 3)

Hinc, tempore Quadragesimae, per se non licet manducare panes ovis confectos; consuetudo tamen id saepe licitum facit.

III. Si praeceptum abstinentiae laeditur manducando carnem proprie dictam, probabile est non committi **peccatum grave** nisi manducantur duae unciae. (Stoz, Tribun. Poenit. l. 1. p. 3. n. 528; Lehm. I. n. 1207; Ball. P. n. 108) Plerique opinantur quantitatem multo minorem ad peccatum mortale sufficere. Ita S. Alph. (n. 1029), nulla tamen ratione allegata, rejicit sententiam quae mediam unciam carnis habet ut materiam levem, asserit vero gravem fore ex quo superat octavam unciae partem. Sed tantus rigor non videtur requiri natura hujus praecepti, cujus observatio non infringitur notabiliter tam exiguae quantitatis comestione.

Major quantitas ad peccatum grave requiritur, si manducantur ea quae a carne proveniunt vel lacticinia: haec enim minus principaliter prohibentur. Probabiliter duplicari potest quantitas quae in comestione carnis proprie dictae censetur gravis: igitur, in sententia nostra, quattuor unciae requiruntur. Sic graviter peccaret qui duo ova gallinacea manducaret, quando haec prohibentur: duo enim ova quattuor fere unciis aequivalent. Qui vero ordinariam portionem leguminum sagimine conditorum vel offae carnis confectae manducaret, a gravi peccato immunis esset. (Gousset, Th. Mor. I, n. 301)

444. IV. Multiplicantur peccata contra legem abstinentiae quotienscumque, vicibus moraliter distinctis, cibi prohibiti manducantur. Videlicet hic nequaquam obtinet ratio pro lege jejunii allegata (n. 441): nam objectum praecepti manet semper possibile.

V. Toto tempore Quadragesimali, etiam diebus Dominicis, ceterisque diebus jejunii per annum, quicumque, *vi dispensationis*, carnibus vescuntur, prohibentur in eadem comestione **pisces cum carnibus manducare**. Hanc prohibitionem edidit pluribusque documentis declaravit Bened. XIV, praesertim Litt. Ap. "*In suprema*", d. d. 22 Aug. 1741. (Coll. P. F. n. 2051) Hanc legem suam ex genere suo sub gravi obligare declaravit idem Pontifex litt. 8 Jul. 1744 ad Archiep. Compostell. (Coll. P. F. n. 2053)

Nomine piscium veniunt hic ea omnia animalia quae diebus abstinentiae licite comeduntur, etiam testacea marina, ut ostreae et cancri. (S. Poenit. 16 Jan. 1834) Non tamen censemus hanc legem infringere eos qui cum carnibus miscent aves illas aquaticas quas diebus abstinentiae forsitan tamquam cibos esuriales manducant. Haec enim mere probabilis et consuetudine potius quam rei natura nitens facultas neminem adstringit ut hujusmodi aves jugiter piscibus accenseat. Carnium autem nomine generatim ea veniunt quae supra (n. 442) declarata sunt, non tamen videntur hic comprehendi quae tantum e carne originem ducunt.

Etenim 8 Febr. 1828 S. Poenit. respondit dispensatos a lege abstinentiae a carnibus posse, diebus quibus urget jejunii obligatio, valetudinis causa, vesci jure tantum carnibus condito, et de cetero cibos esuriales edere, sicut ceteri qui pisces edere queunt.

Cum haec prohibitio fiat *per modum condicionis* adjectae dispensationi quae datur ad carnes comedendas, non complectitur eos qui per se, puta ratione gravis morbi, sine dispensatione, a lege abstinentiae immunes sunt. (Ball. P. n. 26) Ex declaratione autem S. Poenit. d. d. 15 Febr. 1834 (Coll. P. F. n. 2068), non attingit eos qui, vi dispensationis, carnes edunt diebus Veneris et Sabbati in quibus non est jejunandum. Suam sententiam tuta conscientia in praxim deduci posse declaravit S. C. Inquisitionis die 9 Januar. 1899. At prohibitioni ne misceantur pisces carnibus subjacent diebus jejunii ii qui, ratione aetatis, laboris aliisque causae rationabilis, a lege unice comestionis immunes sunt: nam et hi, ratione dispensationis, carnem manducant, et in hunc sensum respondit S. Inqu. 23 Jun. 1875. (Coll. P. F. n. 2076)

§ 3. DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

445. I. Impotentia morali, seu magno incommodo extrinsecus adveniente, excusantur:

1° Qui nondum complevere annum 21^{um}, etiamsi robustissimi sint: nam consuetudo eos, per modum regulae generalis, eximit. Probabile autem est eos qui, decurrente aliqua die jejunii, hanc aetatem complent, non teneri ad jejunandum ista die: nam praeceptum respicit totam diem, et, in parte antecedente horam qua 21 annos complent, licet iis manducare quoties volunt. Contrarium S. Alph. (n. 1035) probabilius opinatur.

2° Qui jam inchoavere annum 60^{um}, etiamsi viribus robusti permanserint: nam hi solent egere cibo frequentiori. (S. Alph. n. 1036) Quidam etiam, duce Sanchez (Cons. Mor. l. 5. c. 1. dub. 4. n. 6), idem tenent de mulieribus 50^{um} annum inchoantibus. Hanc opinionem S. Alph. (n. 1037) neque improbare, neque probabilem dicere audeat; eidem favent Ball. P. (n. 84), Sabetti (n. 337), Buccer. (t. I. de 5° et 6° Praec. Eccl. n. 49). Quare saltem extrinseca probabilitas huic sententiae tribuenda est. Reapse tamen parum solidum est fundamentum cui praecipue inniuntur ejusdem fautores: mulieres citius quam viros senescere, ita ut quinquagenariae jam generare nequeant. Nam, quando circa hanc aetatem menstruus fluxus desinit, saepe mulieres quasi novas vires assumere videntur. Cfr. Eschbach, Disp. physiol. theol. p. 51 seqq.

3° Debiles, infirmi, convalescentes. His accensendi sunt ii qui ex